COMPOSITIONES PVLCHRÆ. CAP. LVII.

COLOREM aureum pro metallis & lapidibus adulterandis sic efficito: salis armoniaci, calchanti albi, singulorum partes æquales quatuor, salis lapidei, ærugines, partes tres ex unoquoq: omnibus in pollinem redactis, siue annulum, siue lapidem mergito, ut à puluere circumtegatur, atq; sic in ignem imponito per horam, extractum, urina mergito recenti.

Metalla quomodo aureo colore uideantur.

Cornea membrana, ex qua laternæ fiunt, cũm glutine piscium mũdo, in formas subigitur aqua, figurasq; effingit, omnium maximè nudæ puellæ: roseũ enim colorẽ facilè combibit candore pellucido. Nec soluitur ea cõpago, nisi igne & ictu. Viuas refert formas, tum flores uarios, herbasq; mixtis coloribus, ut non pauci hoc solo artificio uiuant.

Effigies & imagines solidæ, pulchræ.

Specula chalibea uocata, fiunt ex æris partibus tribus, stanni & argenti parte una, antimonij decimaoctaua parte. Aliqui, imò plures argentũ compendij causa relinquunt. Sunt qui ex stanni libra, æris triente, colliquatis iam, ac tartari uncia, auripigmenti albi semuncia additis, ac donec fumum emittant super prunas decoctis, laminas conficiant. Deniq; exceptum metallum liquatum denuò tabulis ad rectitudinem formatis, calefactis, & fumo lachrymæ laricis siccatis, & uitis cinere leuigatis, in speculi figuram deducunt. Pòst aqua & arena tabulæ glutino annexum leuigãt: inde, smeriglio aut pumice leui: tertiò, stanni calce. Argentea uerò specula minore negocio miscentur, quãdoquidem ipsum per se solùm argentum, quasi id præstat quod à speculis

Speculorũ cõpositio.

culis requirimus, uerũm & illustrius, & minore ne frangan tur periculo.

Marmoreæ effigies.

Imagines & statuæ: cortices ulmi & populi cacumina decoque, & dum feruet calcem purissimam immittito, donec formam coagulati quasi lactis acceperit, inde marmor candidissimum tenuissimè tritum ac cribratum adde, & informas inijce: siccatoq; in umbra. Sic uasa etiam fingere licebit eximia pulchritudine, impensa exigua.

Æreæ effigies splendidæ.

Pari fermè modo, sed splendidiora erunt, efficies ex ære ac uitro pari pondere, sed & labor curaq; maior. Rursus ex laterib. percoctis ac durioribus, calce & ferri squamma: sed dupla ratione ponderum later & calx ac squamma constare debent: candido oui excipi debent, ac sub terra coalescere, atq; durari.

Effigies durissimæ.

Mixtura ad multa utilis.

Candida mixtura ex cera alba & modico lachrymæ larignæ, ceruseq; tantundem constat. Hac utuntur qui imagines fingunt ac sigilla, tum modulos: tenax est, splendida, tenuis, perennis.

Materia pro statuis elegans & paratu facilis.

Materia pro statuis, operibusq; maioribus, firma atq; utilis: Cretam mollem pari pondere fimo equino commisceto, additoq; lateritij pulueris ac cineris partem duodecimã, tamdiuq; tundito ac subigito, donec nullum sit discrimen partium, demum siccetur. Inde addita rursus aqua tunditur, subigitur, siccatur: repetũtur eadem quater, quinquies ac etiam pluries: conflaturq; materia, quam si tingere libeat, licet in omnem colorem: atq; ex ea fiunt statuæ firmæ, ac tenuiter elaboratæ. At quis non uidet hæc opera esse subtilitatis, duritiem, pulchritudinem, diuturnitatem, & ad opera exquisitissima habilitatem? Itaq; de omnibus alijs par ratio erit, ut mixta perfectiùs misceantur.

HIERO-